

*Wd. 72.*

N° 62.  
4

# DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA D E JURE DEVOLUTIONIS

*Secundum Mores & Statuta Archi-Diecesis Coloriensis*

Q U A M

# DEO AUSPICE

PATROCINANTIBUS

Apostolorum Principe S. Petro, ejusdemque  
Archi-Diecesis Praefule S. Engelberto

P R A E S I D I B U S

PRÆNOBILIBUS, CLARISSIMIS, CONSULTISSIMISQUE  
VIRIS, ac DOMINIS,

D. GERARDO ERNESTO HAMM

J. U. D. Professore Publico & Ordinario, Venerandæque Facultatis Juridicæ  
Coloniensis Dictatore

N E C N O N

D. GUILIELMO DE MONTE

J. U. D. Professore Publico, & Ordinario, ejusdēmque Facultatis Fisco.

P R O

*Obtinenda in utroque Jure summi Gradū Licentia*

In publico Juris Auditorio

*Crisi Academicæ subjiciet*

PETRUS ENGELBERTUS BENNERSCHEID Tuitiensis

AA. LL. ac Philosophiae Magister.

Die 17 Septembris Anno MDCCXLVIII.

---

Coloniæ typis GEREONIS ARNOLDI SCHAUERBERG.

*Cum Privilegio Venerand. Facultat. Juridica.*

DOMINI Gloria Terrena Omnis  
Invicta Gloria Uniuersitatis Augustinae

Bonum Conservare Est Feliciter Vivere

Deo Auspice

Secundum Scripturam Sanctam Marij feliciter Augustinae


Let Tuus Nome Sicut Esset Amen

In Domin*o* Conservare In Domin*o* Vivere

Domin*o* Gloria Terrena Omnis  
Tu Let In Domin*o* Conservare In Domin*o* Vivere

Gloria Terrena Omnis Domin*o* Conservare In Domin*o* Vivere

Hab Bonum Conservare Est Feliciter Vivere



## CAP V T P R I M V M.

*De Origine, naturâ & definitione Juris devolutionis in genere.*

### §. I.



Enerrimum omnino, tamque ingentem parentes erga liberos suos fovere affectum Jura passim præsumunt, ut liberorum gratiâ omnia parare l. 50. §. 2. *de bon. libert.* iisdem bona & hæreditatem Communi voto addicere l. 7. §. 1. ff. *si tab. test. null. ext.* ac quounque modo perquam bene prospicere l. 22. §. fin ff. ad l. *Jul. de adult.*, lm̄d conjuges hoc animo & destinatōne, ut bona, quæ adferunt, aut quæ situri sunt, ad sobolem ex eo conjugio genitam perveniant, societatem conjugalem iniisse, meritò crediderint; ductâ igitur ab hac conjugum sollicitudine conjecturâ, & ne desiderium istud optato careret successu, sed præser-tim alterutro parentum mortuo, tantò certius suum pertingeret effe. Etum, statuta & consuetudines quorundam locorum, nedum contrâ machinationes parentis binubi (quibus satis obviam ivere leges Romanæ tot. tit. *C. de secund. mupt.*) sed in quæcumque eventum separationis

A 2

thori

chori, liberi istius matrimonii prospectum, eosque de bonis parentalibus, saltem spectabilioribus, securos reddere volentes disposuerunt, ut dissoluto per mortem alterutrius conjugum matrimonio, non solum defuncti, sed etiam superstitis bona immobilia ad liberos proprietate tenus transeant, quod *Jus devolutionis* appellamus, & discernitur à Jure *Revolutionis*, vi cuius posthabitâ sanguinis aut gradis proximitate, bona intestatò defuncti revertuntur ad lineam, unde provenerunt. De quo vid. Melch. Voetz, *tr. de Jure Revolut.*

## §. 2.

**Q**uod *Jus devolutionis* ad eum modum & formam, quâ hodie Jure illo utimur, tûm per consuetudinem, tûm per particularia locorum statuta in Germaniâ æquè, ac aliis, ubi viget, provinciis introductum sit, incontroversum est; utrûm verò primæva illius origo ex dispositione *Juris Romani*, præsertim l. 3. § 4. *Cod. de secund. nupt.* haud peti queat? dubitatur; quod, licet simpliciter neget *Estor Specim. Jur. Germ. de Jure devolut.* cap. 4. *Christin. ad LL. Mechlin.* tit. 16. art. 25. n. 3. probabilius tamen id affirmat Stockmans de *Jure devolut.* cap. 4. de Mean *ad Jus Leod. in opere posthumo def.* 72. n. 3. § 4. Cautum siquidem habetur L.L. cit. " ut quidquid alteruter conjugum ad 2das transiens nuptias, ex facultatibus prioris conjugis, cuiuslibet liberalitatis titulo perceperit, id totum, salvâ in diem vitæ utendi fruendi, demptâ verò alienandi facultate, ad filios præcedentis conjugii transmittat &c. à quâ legum communium provisione quidem in pluribus differt *Jus devolutionis*, admodum tamen verisimile est, devolutionem exinde, tanquam è radice progerminasse, ità, ut *Jus Romanum*, & *Jus devolutionis* duntaxat se habeant, ut excedentia & excessâ prout notat *laud. Mean l. cit.*

## §. 3.

**D**iscordat autem devolutio à dispositione d. l. 3. § 4. *C. de 2dis nupt.* (1) quod leges præceptæ bona ex substantiâ defuncti in superstitionem

tem profecta duntaxat complectantur, devolutio vero etiam esse extendat ad bona, quae superstes aliunde haberet. (2) LL. cit. mobilia quoque afficiunt, Jus devolutionis regulariter sola immobilia. (3) Jus Romanum non obtinet; nisi in casu, quo superstes ad alias nuptias provolat, devolutio indistincte procedit, rupto per mortem alterius conjugum thoro, superstite licet viduo, viduavè manente. (4) ex quorundam DD. opinione vera proprietas bonorum per LL. cit. in liberos non transfertur, sed his tantum reservatur, Jus devolutionis vero aliquibus in locis veram proprietatem liberis realiter addicit.

## §. 4.

**N**on tantum de origine, sed & de ipsâ devolutionis naturâ & indole contentio est. Devolutio pro varietate locorum subinde variat, unde evenit diversas à diversis hujus Juris dari definitiones. Mihi recte describi videtur: *quod sit beneficium legis, quorupto parentum thoro, bona immobilia superstitis, quoad proprietatem, transiunt in liberos istius matrimonii, relieto superstiti conjugi ad dies vitae usufructu.* Generis loco substitui beneficium, & non Vinculum, prout Stockm. de *Jure devolut.* cap. I. n. 9. quia definitio per vinculum ad consuetudines Brabantiae restricta, moribus quorumvis locorum praesertim in germaniâ, non quadrat, ubi passim devolutio non tantum alienandi facultat, sed & ipsam proprietatem bonorum superstiti auferit. De quo infrâ, Minus placuit devolutionem appellare successionem cum Efor. de *Jure devolut.* cap. I. §. 4. quod enim devolutio non sit successio, pluribus congestis rationibus demonstrat Stockm. d. Tr. cap. 5. ex quibus unicam illam in toto Jure decantatissimam hic adduxisse sufficiat, quod, sicut viventis nulla hereditas, ita nec successio esse possit L. I. ff. de heredit. vel act. vend. l. 3. C. de usucap. pro hered. cum econtra devolutio circa bona viventis versetur. Hinc est, cur in definitione posuerim bona, ad denotandum: per devolutionem non hereditatem, aut Jus universum, sed certa duntaxat bona in liberos transire, hereditas enim, sine ullo corpore, Juris habet

habet intellectum l. 50. ff. de hæred. pet. deficientibus verò bonis devolutio nulla est confer. Mean ad Jus Leod. def. 12. n. 14. dixi immobilia, non, quod naturæ devolutionis repugnet, eidem quoque mobilia subjici, sed quia immobilia passim, rarius vero mobilia devolvuntur. Neque tamen ubivis tota immobilis substantia, sed hic pars bonorum quanta, alibi certum solummodo bonorum genus Jure defertur devolutionis. Dixi quoque: *superstitis*, in defuncti namque bonis devolutio non obtinet, sed horum proprietatem liberi consequuntur Jure legitimæ successionis, licet hæc quoque bona vulgari usu loquendi appellantur devoluta, ac suo modo etiam, seu in sensu laxiore devoluta dici possint, attamen de hujusmodi transmissione per ordinariam successionem impræsentiarum non est quæstio. Dixi denique: *relictio superstiti usufructu*. Hunc enim à proprietate separatum, largiuntur superstiti consuetudines illorum locorum, que devolutioni locum dant. Ceterum definitionis Justitia ex deducendis latius patebit.

## §. 5.

**F**inis devolutionis introduxitæ est, ut liberis primi thori consulatur, & ex hâc quidem solâ ratione incommoda, quæ devolutio aliâs secum fert, attendi non merentur. Etenim si durum cuiquam videatur, quod devolutio auferat superstiti conjugi, ut plurimum invito, proprietatem rerum suarum, facultatem desuper disponendi, media quoque novam nuptiarum conditionem inveniendi, quodque inæqualitatem inter diversi thori liberos quandoque inducat, ac illis posterioris conjugii non rarò vix legitimam salvam relinquat; prona est responsio ex l. 12. §. 1. ff. qui & à quib. manum. Nimirum præmissa omnia, lege vel consuetudine sic jubente, dura non esse; quod conjux sciens devolutionem obtinere, eidem in pactis dotalibus derogari non faciens, dominio rerum suarum volens excidat, nec molestem ingenuæ matri videri debeat, amore liberorum primi thori à secundis nuptiis abstinere, per quas anterioris conjugii liberis gravius inferri præjudicium exempla docent,

quam

quam equidem ulterioris thori liberis per devolutionem, quibus, ubi nihil est, nihil debetur. Plura de hâc re vid. apud Stockmans cap. 4. n. 5. Estor. cap. 5. §. 5. Rick. de union. prol. cap. 2. n. 11. Grot. de Jure B. & P. lib. 2. cap. 7. §. 8.

## §. 6.

**C**Æterum Jus devolutionis pluribus locis incognitum, in multis Germaniae Regionibus observari testantur Mynsing. cent. 5. obs. 32. Estor. cap. 3. ubi quamplures provincias, ac loca quædam particularia Germaniae superioris, in quibus viger devolutio, recenset. in Contiguis quoque Ducatis Juliae & Montium Ordinat. Jul. Mont. cap. 74. Röfenthal cap. 7. concl. 16. nec non in Civitate hâc Colonensi Jus devolutionis observari constat ex statutis Civit. Colon art. 14. Idem porrò penes Leodienses de Mean obs. 112. Gelrienses à Sande ad consuet. feud. Gelr. tit. 3. cap. 1. §. 1. n. 4. ac denique per universam ferè Brabantiam frequentatur Stockm. de Jure devolut. cap. 2. sed, ut præmonui, non ad unum ubique modum.

## CAPVT SECUNDVM.

*De Jure Devolutionis speciatim juxta mores & statuta Archi-Diœcesis Colonensis Considerato.*

## §. 1.

**I**N Electorali hâc Provinciâ Colonensi itidem Jus quoddam devolutionis vigeret, quod olim Soli consuetudini, & utentium moribus innoxum, quæcumque bona immobilia, quæ possidebant parentes, cum matrimonium prius solveretur, completestebatur, ut fusius deducit Thummertus 1. fund. par. Cur. à deneg. Commun. invest. n. 73, verum rigor iste demum expressâ reformationis statutariae sanctione eò temperatus fuit, ut hodie nonnisi bona stante thoro acquisita Juri devolutionis subjaceant

jaceant, ita enim habet Ordinatio Electoralis Colon. tit. 2. §. 3. die in jē  
der Ehe anerwonnene liegende, oder unbewegliche Güther, sollen bey  
derjenigen Ehe Kinderen; darin sie gewonnen, verbleiben ic. quæ  
magis elucidantur per alium textum ejusdem Ordinat. tit. 8. §. 6. ubi  
wan aber das Erstabgestorbene von beyden Eheleuthen Kinder aus  
selbiger Ehe gezeugt, hinter sich im Leben verläßt, soll das lebendige  
den Heyraths-Pfennig, und andere zugebrachte, oder beystehen-  
der Ehe dem Erst-abgestorbenen zugefallene, wie auch die gewonnene  
Güther nur Leibzüchtigs ein Lebenlang, es greiffe dasselb wieder zur  
anderen Ehe, oder nicht, zu genießen haben re. ex quorum textuum teno-  
re, signanter ex verbis notatis, Jus devolutionis, quod suprà delineavim-  
us, demetimur, cum superstiti parenti omnium acquisitorum, quo-  
rum aliàs dimidium proprietate tenuis habere deberet, solus ususfructus,  
liberis econtra eorum proprietas adscribatur, quibus præscindendo ab  
hac statutariâ provisione, attentâ communione acquæstuum inter con-  
juges in Archi-Dicecesi Colon. vigente, nonnisi una medietas acquisito-  
rum ex obitu alterutrius parentum defuncti proprietate tenuis obvenire  
posset.

## §. 2.

**E**X præmissis statuti Archi-Dicecesani articulis insuper edocemur, quis  
sit ejusdem Juris devolutionis in foro nostro modus, forma & usus.  
Siquidem imprimis inde perspicuum redditur, bona duntaxat immobi-  
lia Nostri Juris devolutionis constituere objectum, nec minus bona hæc  
rupto thoro ad liberos perinde devolvi, etiamsi conjux supervivens in vi-  
duitate persistat text. Ord. tit. 8. §. 6. es greiffe dasselb zur anderen Ehe  
oder nicht, indicio manifesto, Jus Nostrum Devolutionis non in odium  
secundarum nuptiarum, sed unicè & primariò in favorem liberorum, cu-  
juslibet thori introductum, adeoque non odiosum, sed velut merum  
beneficium & utilitatem complectens, favorable esse, ut ut hic & nunc  
ex consequenti in gravamen parentis & aliorum liberorum vergere  
videat.

videatur Peck. de test. conjug. lib. 4. cap. 5. n. 5. Rodenburg tit. 2.  
cap. 4. n. 8.

## §. 3.

**Q**Uamvis igitur Jus devolutionis in poenam secundarum nuptiarum introductum dici nequeat, incidenter tamen attingere lubet quæstionem: an pœna à Jure Romano præsertim in *L. fœminæ* 3. & *L. hæc edictali* 6. *C. de 2dis nupt.* binubis impositæ, in Archid. Colon. sint in usu? has in Germaniâ vigore tradunt Hert. resp. 152. n. 8. Leyser. specim. 300. medit. 6. Strick. u. m. tit. de rit. nupt. §. 33. nec abrogatas censeri, sed statuta secundum dictas LL. interpretationem recipere, nisi easdem nominatis verbis aboleant, volunt. Estor de *Jur. devol. cap. 6.* §. 10. Müll. ad Seruv. exercit. 29. thes. 53. lit. P. Wames. cent. 5. conf. 51. n. 7. Verum & tacitam derogationem sufficere reëtius statuant à Sommern de *Jur. Novercar. cap. 1.* n. 1. Gabriel. tit. de 2dis nupt. concl. 4. n. 18. Hanc autem colligimus ex statuto nostro, præterquam enim, quod dictas LL. generaliter in locis, ubi viget communio bonorum, exulare testetur Knorr de *Jure conjug. nupt. reiter.* Nec ex eadem ad portionem conjugi ex statuto delatam extendantur Strick. de success. ab intest. diff. 1. cap. 2. §. 8. illarum dispositionem per statuta Archi-Dioeces. sublata existimo, siquidem illa parenti binubo præter confectionem inventarii Ord. tit. 8. §. 6., necnon, ut liberis minoribus curatorem constituat, sub pœnâ privationis ususfructus imponunt tit. 11. §. 1. Sicque novas à jure Communi haud statutas pœnas contrà binubum inducunt, quando autem Jus statutarium Juri Communi quid superaddit in materiâ odiosâ, hoc per illud sublatum præsumitur. Voet de statut. sect. 7. cap. 2. numer. 13. Accedente hâc ratione, quod per devolutionem acquisitorum ad liberos; his non mediocriter prospectum, econtrâ ultimò superstes dominio & proprietate horum bonorum exutus aliquantis per gravatus sit, proindeq; præsumi non debeat, statutum eundem superstitem præter hoc gravamen, & pœnis legis statutariorum, & Juris Communis onerare, sed ei potius liberam de bonis reliquis disponendi po-

B

testatem

testatem relinquere voluiste. Quemadmodum constitutionem dicit l. 3.  
 §. 1. ne proprietatis, sed ususfructus Jure solummodo possideat pa-  
 rents binibus, quæ ex liberorum successione obtinuit; in statutis Jul.  
 Mont. cap. 82. disertis verbis renovatam, in patriâ Colon. per Ordinat.  
 tit. 4. §. 1., vi cuius parens ad successionem filiorum sine distinctione  
 inter usumfructum & proprietatem vocatur, antiquatam existimò cum  
 v. Somern l. cit. §. 3.

## §. 4.

**U**T autem devolutio subintrare possit, regulariter mors alterutrius  
 conjugum intervenerit, necesse est, non Civilis, quæ quandisque  
 mortis nomine venit. L. 13. §. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor. l. 29. §. 5.  
 de lib. & posth. l. 56. C. de Episcop. & Cler. Sed naturalis, quâ vinculum  
 Connubii dissolvitur, prout ex textu statutorum supraadducto liquet.  
 Hinc neque per ingressum alterutrius in religionem, neque deportatio-  
 nem ( in cuius locum Bannus Imperii hodie successit Strick ad U. M.  
 lib. 4. tit. 5. §. 9.) alterius bona ad liberos devolventur, cum utroque  
 casu firmum maneat matrimonii vinculum cap. 8. & de Convers conjug.  
 l. 13. §. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor.

## §. 5.

**S**EDAN jus devolutionis locum habeat dissoluto matrimonio putativo?  
 sanè, cum ex tali matrimonio progeniti, sive uterque, sive alteruter  
 parentum duntaxat, impedimentum ignoraverit, sint legitimi parenti-  
 búsque succedant cap. cum inter 2. & cap. extenore 14. & qui fil. sint legit.  
 Filiique exinde nullam sustineant jacturam. d. cap. 2. Hinc dubitandum  
 non est, quin devolutio, mortuo alterutro conjugum putativorum, im-  
 pedimento licet illicè detecto, plenum sortiatur effectum, dum matri-  
 monii hujus eadem ad effectus Civiles (nisi aliquibus in casibus à Jure  
 specialiter exceptis) vis est ac legitimi & veri cap. significavit 2. & de  
 donat.

*donat. int. vir. & uxor.* Quid autem : si viventibus adhuc parentibus, superveniente impedimenti notitiâ , divertique sententiâ inter eos Canonice prolatâ , putativum illud matrimonium fuerit dissolutum ? & in hoc casu , cum mens statuti sit , ut liberis in casum rupti conjugii , ubi conjugi à lege conjugis soluto alienationis & dissipationis periculum subest, prospiciatur, haec ratio verò in Casu substrato respectu conjugis utriusque subversetur, utriusque bona stante conjugio putatiyo quæ sita devolutioni obnoxia fore censeo, ad ductum Juris Romani, quod, cum primitùs à morte unius conjugum , proprietatem lucrorum nuptiarum ad liberos illius thori devolvi voluislet l. 3. C. de 2dis nupt. dispositiōnem hanc postea eo extendit, ut matrimonio quocunque modo dissoluto obtineret. L. 9. §. 1. d. t. Nov. 22. cap. 30. ibi hec adinſtar ex morte lucrorum omnia serventur filiis - Nov. 98. cap. 1. ibi proprietatem vero eorum filiis omnino servandam esse .. & hoc valere matrimonii quocunque modo solutis. Cur autem statutum de Casu alterutrius conjugum præmortui disponat, ratio est, quia loquitur de matrimonio vero, tanquam frequentiori, quod alio modo, quam per mortem non dissolvitur, leges autem disponunt de iis, quæ frequenter & non rarò accidunt. L. 4. 5. & 6. ff. de L.L. non ut casus rarò contingens omittatur animo excludendi, sed quia rarò contingit Brunnen. *ad LL. cit.*

## §. 6.

**D**EINDE , ut devolutio locum habeat, requiritur, ut ad sint liberi naturales & legitimi simul, & quidem ex eodem matrimonio, quo stante bona acquisita fuerunt, procreati text. Ord. tit. 8. §. 6. ibi aus selbiger Ehe gezeigt ic. liberi enim primi thori non causant devolutionem bonorum in 2do thoro acquisitorum, nec viceversâ; naturales & legitimi etiam sunt legitimati persubsequens matrimonium Ord. Col. tit. 2. §. 1. Sive jam nati sint, sive natciri non refert L. 7. l. 26. ff. de stat. hom. interest autem, an liberi sint primi vel ulterioris gradus, notanda enim occurrit differentia inter Archi-Diceces, Colon. & alia loca, ubi

B 2

omnia

omnia bona immobilia indistinctè devolvuntur , in hisce enim locis, bona Avi in filium devoluta, mortuâ filii uxore, ulterius devolvuntur in nepotem, itâ, ut bona duplici devolutioni sint obnoxia, & neque pater, neque avus eadem alienare possit. vid. Stockman de *Jur. devol.* cap. 8. in Electoratu Colon. verò bona duplici devolutioni nunquam subjici contingit, hic enim bona Avi in filium devoluta, quia acquisita non sunt, sed patrimonialia, mortuâ filii uxore non transeunt in nepotem , sed proprietate tenus manent penes filium, donec eo mortuo bona hæc nepoti per viam successionis deferantur, si verò filius præmortuus foret , antequam chorus avi rumperetur , proprietas acquisitorum avi immediate devolvitur ad nepotem , prout devolutura fuisset in filium, si tempore rupti thori aviti in vivis extitisset.

## § 7.

**C**olligitur ex opposito liberos naturales tantum , legitimatos per re scriptum Principis etiam quoad successionem cum liberis legitimis, nec non adoptivos , in bonis parentis vivi , Jus devolutionis sibi arrogare non posse ; ponamus autem : patrem adoptivum habere liberos Justos vel patrem aut matrem naturalem ex post cum aliâ, aliove, quam matre aut patre istius filii naturalis, veletiam per rescriptum legitimati matrimonium contraxisse, & liberos inde suscepisse : num hujusmodi liberi parenti suo adoptivo & respectivè naturali saltem post mortem in bonis devolutioni obnoxiis , seu acquisitis succedant ? ratio dubitandi est, quia de Jure Communi filius adoptivus patri L. 5. C. de suis & legit. naturalis matri L. 5. C. ad S<sup>c</sup>tum Orf. & dicto modo legitimatus quoque patri Strick de success. diff. 1. cap. 2. §. 74. cum liberis Justis aquiliter succedit. Verum hâc ratione floccipensâ, certum est, liberos hos cè in Archi-Dioecesi Colon. à bonis devolutioni obnoxiis per liberos Justos excludi, siquidem statutum bona acquisita præcisè ad liberos ex illo thoro , quo stante parta fuerunt, vult pertinere, Ordinat. Archid. tit. 2. §. 3. cum tamen nec adoptivus, nec naturalis, nec legitimatus per

re-

rescriptum se ex tali thoro, cuius acquisita affectat, natum gloriari possit, per consequens, cum vigore text. Cit. usque ad e liberi Justi, ex 2do thoro nati, ab acquisitis primi thori, & viceversa arceantur, tanto magis filius adoptivus, si ete legitimus aut planè illegitimus abinde repellendus erit.

## §. 8.

Jure nostro statutario filiis, vel filiabus ordinem religiosum ingressis, ante professionem certa pecuniae quantitas, dotis nomine à parentibus, in eventum verè discordia parentum & superiorum monasterii, à Judice constituenda est, quæ monasterio solutâ, ab universâ parentalı substantiâ excluduntur, veluti cui, acceptando dotem hujusmodi, renuntiâsse censem̄ tit. 2. Ord. Patr. Colon. §. 5. Unde consequitur, professum, professamve, ab acquisitis thori deinceps devolvendis merito exclusam esse, eo, quod hæc bona sint parentalis substantiæ portio, ad renuntiata autem non detur regressus. Quid autem si parentes nullam dotem religionem ingresso dederint, neque hæc substantia parentalı renuntiaverit? hoc casu religioso, uti successio, ita & devolutio salva & integra manet arg. L. 55. & 56. C. de Ep. & Cler. auth. ingressi C. de Ss. Eccles. Si verò professus, aut professa præmaturâ morte suâ, obitum alterutrius parentis præveniret, Monasterium, ad effectum gaudendi Jure devolutionis, filii nomine haud venit.

## CAPUT TERTIUM.

*Quæ Bona Juri Devolutionis sint subjecta.*

## §. 1.

IN Archi-Diœcesi Coloniensi, ut jam modò insinuavimus, superfluis bona duntaxat immobilia stante thoro acquisita ( scilicet illa medietas, quæ superstitioni communionis competit, altera nam-

B 3

que

que medietas acquisitorum ordinario Successionis Jure in liberos transfertur ) & non alia , Juri devolutionis sunt obnoxia ; asserti veritas patet tūm ex tit. ordinat. 2. §. 3. Ubi sola bona stante thoro acquisita , liberis , qui ex eodem prodiere , reservantur ; de illatis , aut delatis nulla fit mentio. Tūm ex ejusdem Ord. tit. 8. §. 6. ibi = den Heyrath s - Pfennig aber und andere zugebrachte , oder beystehender Che dem erstabgestorbenen zugefallene ( hactenū de bonis conjugis defuncti agitur ) wie auch die gewonnene Gūther nur Leibzüchtig ic. Liquet inde superstitem dotis , & aliorum à defuncto matrimonio illatorum , nec non eodem stante per successionem ipsi delatorum usumfructum duntaxat habere , ex Jure verò , quod habet superstes in bonis propriis illatis , & stante conjugio ei delatis , nihil ademptum aut diminutum reperitur , solis acquisitis exceptis , veluti quæ textus generaliter , nullā inter medietatem defuncti & superstis factā distinctione , comprehendit , solum & nudum eorundem usumfructum superstis relinquendo. Tum denique ex tit. Ord. Colon. 2. §. 2. vi cuius liberi diversorum matrimoniorum communi patri vel matri in bonis illatis , & quandocunque delatis æquali divisione succedunt ; quod secus esse deberet , si bona hujusmodi devolutioni quoque forent subiecta , hujus quippè Juris natura est , liberos alterius thori , in quo ea bona acquisita non sunt , ab eorundem affectione excludere. Demptis igitur acquisitis , superstes in reliquis bonis suis immobilibus illatis & delatis , prout & mobilibus Ord. Colon. tit. 8. §. 5. & 6. plenum retinet dominium , cum liberā defuper disponendi facultate , dummodo liberis salva maneat legitima , hæc enim clausula statuto , superstis lucrum quoddam deferenti , semper tacite inest Carpzov. p. 3. c. 23. def. 18. Mev. ad Ius Lub. p. 2. tit. 2. art. 12. n. 174. Si igitur superstes ad alias convolaverit nuptias , secundo conjugi in bonis hujusmodi illatis & delatis competit ususfructus Ordinat. tit. 8. §. 3. & 6.

## §. 2.

**I**mmobilium porrò bonorum nomine , hunc ad effectum , præter ea , quæ ex naturâ suâ talia , & talibus affixa sunt , Ordinat. Colon. tit.

*tit.* 8. §. 7. aut ex voluntate conjugum immobilium naturam induerunt, ex dispositione statuti, venit sors capitalis annuis redditibus exposita, sive re- sive irredimibilis Ord. Colon. *tit.* 2. §. 3. sive in reali hypothecâ, sive in persona tantum, sive ad longum, sive ad modicum tempus constituta fuerit, ob generalitatem textûs cit. ibi - ohn Unterscheid, allzeit und allenthalben re. Dummodo sors hujusmodi in territorio Electorali Colon. investita fuerit. Qualitas enim mo- vel immobilaritatis desumitur à consuetudine loci, ubi pecunia est applicata, Joan. Voet. *ad ff. tit. de confit. princip. §. de statut. n. 11.* Nummi pariter ex divendito prædio immobilis, nec non ex sorte capitali, annuo censiui quondam expositâ, jam restitutâ redacti *Ordinat. tit. 8. §. 3. § 7.* Mercatorum præterea merces, nec non inter nautas navicula, eorumque instrumenta, *tit. 8. §. 8.* Quæcunque demum jura & actiones ad rem immobilem tendentes, immobilibus adscribuntur arg. à contrario *tit. 8. §. 7.* Licet enim à sensu contrario statuti particularis argumentari, Cerrus *decis. Rot. 522. add.* Paul. Voet. *in tr. de mob. & immob. nat. cap. 7. §. 9.*

## §. 3.

**V**ideamus, quænam bona sub acquisitorum nomine comprehendantur? & talia imprimis sunt, quæ conjuges durante matrimonio, operâ, soleritiâ, communib[us]que loculis sibi comparârunt. Huc etiam referimus, fundum mediante transactione, cui pretium rei controversa propè æquivalens intervenit, à possessore obtentum, aut per conjugem possessorem à lite liberatum, eo, quod litis æstimatio simili sit emptioni *L. 1. & 3. ff. proempt. à Wefel de cornu h. bon. societ. tr. 2. cap. 2. n. 69.* aut à parentibus, cui suo tempore successurus fuisset coniux, emptum *Mev. ad jus lub. lib. 1. tit. 10. art. 6. n. 27.* nec minus fundum ex nummis, è divendito prædio patrimoniali redactis, comparatum Voetz *hist. Jul. n. 161.* prout & hujusmodi nummi ipsimet, licet ex prædio patrimoniali redacti, sunt acquisititii, quia

quia pretium non assumit naturam rei , pro quâ datur L. 21. de aet. vendit. Aliud est , si fundus patrimonialis , cum alio fundo permuteatur Voetz ord. feud. 15. n. 2. Sande lib. 2. tit. 5. def. 3. Christin. ad LL. Mechlin. tit. 9. art. 7. acquisitionem porro aestimamus à proximi-  
moris tituli origine Mev. p. 2. decis. 245. hinc fundus stante matri-  
monio per sententiam evictus Gars. de acquest. conjug. n. 190, vel ante  
matrimonium emptus , & eo stante solutus aut traditus à Sommeren  
de Jur. Novercar. cap. 1. §. 6. utjillatus respiciendus, econtrâ prædium  
avitum , sub pacto de retrovendendo , olim venditum , stante thoro  
redemptum Sande de feud. Gelr. tit. 3. c. 1. §. 1. n. 36. aut consanguini-  
tatis jure retractum , pro acquisito habendum est , quia acquisitione  
causam proximam habet ab emptione stante thoro factâ diff. Voetz.  
l. cit. n. 162. & 163. Cæterùm in dubio res pro acquisita potius , quam  
patrimoniali habenda est à Wesel l. cit. n. 222.

## §. 4.

**D**ifficultas remanet , quid statuendum sit de immobilibus , quæ  
conjugi stante matrimonio ex testamento , hæreditatis , legati ,  
aut donationis titulo , ab extraneo , cui conjux ab intestato successu-  
rus non erat , obvenerunt ? & ea acquisitis quoque annumeramus .  
Triplex quippe bonorum , species occurrit in læpelaudato statuto Ar-  
chid. tit. 2. §. 2. & 3. alia sunt illata zugebrachte , alia delata anerfall-  
lene , & alia acquisita erwonnene Güther ; ad illata ceu præhabita  
quidem , bona , de quibus queritur in hypothesi , haud spestant ,  
uti per se patet . Neque delatis adscribi possunt , quamnam etenim  
bonorum speciem statutum sub vocabulo anerfallen comprehendat ,  
sat aperte colligitur ex cit. tit. 2. §. 2. in verb. von ab = aufsteigender  
oder Seithen - Linien durch Erbschafft anerfallene re . Quemadmo-  
dum vulgari usu loquendi , nomine deren angefallenen Gütheren illa-  
tantum intelliguntur , quæ à parentibus , liberis , aut proximioribus  
consanguineis per successionem ad nos deriyârunt Reinking. de retract.

qu.

*quest. 3. concl. 1. num. 17.* & alias uno nomine Erb-Güther oppositivè ad acquisita appellari solent. Wehner h. V. Befold, *tom. 1. V. gewinnen.* Ad acquisita igitur viceversâ referenda sunt, quæ supradictis modis non à majoribus aut consanguineis, sed extraneis ad alterutrum conjugum sunt profecta. Befold. *L. cit. V. rungen à Wesel l. cit. n. 81. 89. & 93.* Mev. *ad Jus Lub.* *l. cit. n. 45.* Chasian. *ad Cons. Burg. rub. 4. §. 2. V. acquets n. 4.* Sande. *lib. 2. tit. 5. def. 3.*

## §. 5.

**N**on tantum plebeiorum sed & Nobilium bona afficit Jus devolutionis, quia nobilium bona ab hoc Jure nullibi reperiuntur excepta, adeoque sub dispositione statuti comprehenduntur. Ester. *de Jur. devolut. cap. 7. §. 5.* Mev. *d. tr. quest. prælim. 3. n. 58.* quemadmodum Jus devolutionis ante hanc præprimis inter ordinis Equestris personas in Archidioceſi viguisse, ex decisione Electorali (quam in extenso refert Thummermuth *l. fund. par. Cur. n. 73.*) testatum accipimus. Hoc illustres inter & plebejos statuto discrimine, quod filiae nobilium extantibus filiis acceptâ dote à parentum hæreditate excludantur. *Ord. Colon. tit. 6. §. 1. & seq.* Filiis autem omnibus, sine liberis, ante superstitem defunctis, uti Jus successionis, ita & devolutionis quoad filias reviviscit.

## §. 6.

**N**eque feuda hujus patriæ à Jure devolutionis sunt exempta Thummermuth. *l. c. n. 69. & seq.* intellige Nova, stante thoro acquisita, non antiqua, aut nova ante matrimonium ab alterutro possellâ Clariss. D. Curtius bon. mem. *in not. ad exam. feud. Stryckii cap. 16. qu. 6.* devolvuntur autem feuda ad normam successionis feudalis *tit. 7. Ord. Colon. præscriptam.* Sicut igitur filiae in feudis masculinis omnino non *tit. 7. §. 1.* in feudis successoriis autem, ceu foeminiis, deficientibus demum filiis *d. t. §. 2.* succedunt, ita illa nunquam, hæc in defectu filiorum

C

dun-

duntaxat, ad filias, feuda promiscua verò ( qualia etiam sunt informiter concessa d.t. §. 4.) <sup>utriusque</sup> sexūs liberos ejus thori, in quo feuda hujusmodi acquisita sunt, devolvuntur. Speciale quoque est, quod filia imi thori excludat filium secundi thori à feudo successorio, in illis locis, ubi viget Jus devolutionis Thummermuth l. cit. à n. 66. usque 73. Voetz obf. feud. 15. n. 13. & 14.

## §. 7.

**E**X his palam est, quantum à Jure Nostro Archi-Dioceſano in solis acquisitis devolutionem admittente, discordent mores Vicinorum Ducatum Juliae & Montium, in quibus non modo stante thoro quæſita, sed omnia immobilia ( inter quæ reditus irredimibiles numerantur statut. Jul. cap. 95.) matrimonio illata, eo durante per quamvis ſucceſſionem profecta, aut conjugio diſſoluto ex lineaſcendentium provenientia ad liberos primi thori devolvuntur. statut. Jul. Mont. cap. 47. Schutz de uſuſr. Jul. Mont. cap. 1. §. 4. cap. 2. §. 7. & 13. etiam feuda, ſive nova ſint, ſive antiqua Rosenth. cap. 7. concl. 16. n. 9. & concl. 38. n. 20. Voetz obf. feud. 15. n. 17. & 19. in hâc Civitate Agrippinensi verò imprimis ex conſuetudine bona immobilia stante thoro acquisita, licet conjuget illis necedum ſcrinaliter aſſociati ſint; deinde omnia immobilia, quibus utérque conjuget in ſcrinio adſcriptus eſt, ſive ea ab alterutro illata, ſive eidem per ſucceſſionem, aut alio quovis modo, stante thoro delata fuerint, Juri devolutionis ſunt ſubjecta. Statut. Civit. Colon. art. 14. ibi - so ist die leſte Hand nicht mehr, dan eine Leibzüchterſche ahn allen Erben und Erb-Nemthen, da ſie ſammender Hand angeschrieben ſtahn ic.

CAPVT

## CAP V T QVARTVM.

*De Effectibus Juris Devolutionis.*

## §. 1.

**C**ontentiosa admodum quæstio est, utrum proprietas bonorum de-  
volutioni subjectorum revera transeat in liberos? an maneat penes  
superstitem parentem? Posteriori Belgii passim volunt Wames. cent. 6.  
*consil. Civil. 58. num. 1.* Christin. *ad LL. Mechl. tit. 16. art. 25. innot. de*  
Mean *obs. 112. n. 3.* & *in specie Stockman cap. 1. 6. 7.* & alibi, ubi docet: su-  
perstiti per devolutionem tantummodo Vinculum inalienabilitatis injici,  
proprietatem verò manere penes eundem, cum usufructu causali, liberis  
econtrà proprietatem duntaxat reservari & affici, sub spe & conditio-  
ne, si parenti supervivant, in summâ, plus liberis per devolutionem non  
tribui, quâm securitatem, ut superstiti defuncto succedere possint.  
Atque ita in Brabantia perpetuo judicatum fuisse refert. Ad eandem  
quoque normam consuetudines Juliacenses & Montenses circâ mate-  
riam devolutionis interpretantur Voetz de *Jur. Revol. cap. 4. num. 18.*  
Rick. de *un. prol. cap. 2. n. 10.* prius verò, quod nimirum proprietas bo-  
norum devolutorum parentumrupto thoro derelinquat, & liberos ac-  
cedat sustinet Schutz de *usufr. Jul. Mont. cap. 1. §. 2.* Eftor de *Jure de-*  
*volut. cap. 1. §. 9.* Mynsing. Cent. 5. *obs. 32.*

## §. 2.

**Q**uidquid autem sit de aliarum provinciarum, præsertim exterarum,  
moribus, quos examinare mei non est instituti. Certum est in Archi-Diceysi Coloniensi proprietatem immobilium acquisitorum, rupto  
thoro realiter ad liberos transire (1) enim in Ord. Archid. *tit. 2. §. 3.*  
statuitur: bona acquisita post mortem superstitis penes liberos istius  
thori, in quo acquisita fuerunt, manere debere - sollen verbleiben,  
ergò præsupponitur, quod bona hæc in vitâ superstitis modo fuerint  
penes

penēs liberos, non quoad usumfructum, quem parens in diem vitæ retinet, sed quoad proprietatem, quæ rei appellatione venit *l. 115.*  
*de V. S. (2)* statutum superviventi plus non tribuit in bonis propriis acquisitis, quam in bonis conjugis defuncti, eodem enim Jure censet utriusque bona *tit. 8. s. 6.* in verbis: *dem erstabgestorbenen zugefallene, wie auch die gewonnene Gūther nur Leibzüchtig re.* Jam verò indubium est superstitem conjugem in bonis prædefuncti non habere, nisi usumfructum formale, nil verò proprietatis, igitur superstes in acquisitis nihil ultrà usumfructum formalem retinet. *Id, quod (3)* clarius indigit particula restrictiva *Nur / Vocabulary Leibzüchtig præposita, quæ, prout aliás ex naturā suā, omnia, qua expreſſe non includit, excludit, Befold. theſ. præct. V. allein* ita hī omnem proprietatem ab usufructu removet *(4)* Si ususfructus superstiti conjugi in acquisitis assignatus, pro Causali haberi vellet, nil disposuisse lex talem usumfructum relinquendo, quam absque eo habiturus fuisset conjux, eo ipso, quo dominium bonorum retineret, & omnino gratis inserta tunc foret particula taxativa *Nur.* Ne igitur dispositionem legis reddamus inutilem, usumfructum illum *formalem* dicere debemus, constat autem usumfructum formalem & proprietatem penē eundem esse non posse *l. 1. ff. de usufr.* Idem in hac Civitate Coloniensi circa bona juxta superiorem ſphum 7num devoluta, ob confimilem particulam taxativam *Nicht Mehr dan ein Leibzüchtersche,* obtinere defendo.

## §. 3.

**P**rimus itaque effetus maximè principalis devolutionis nostræ est transmissio proprietatis & dominii bonorum devolutorum in liberos. Sequitur inde secundus: conjugem superstitem scilicet, devoluta alienare non posse, quia dominium & proprietatem eorum non habet. Voce autem alienationis, uti aliás, ita & hic omnis translatio dominii, aut constitutio alterius Juris realis comprehenditur *L. fin.* *Cod. de reb. alien.* ita, ut parens devoluta neque vendere, neque op-

pigno-

pignorare , aut secundo conjugi in dotem dare , imò ne usumfructum quidem , nisi quoisque parens vixerit , novo conjugi in iis constituere possit , cum ususfructus parenti in devolutis competens , ejus morte exspiret Ord. Elect. Col. tit. 8. §. 6. Omnis quoque dispositio per ultimam voluntatem super devolutis inhibita est conjugi L. 8. §. 2. C. de secund. nupt. hinc illa inter liberos inaequaliter dividere arg. auth. lucrum C. d. t. nec filium ex causâ ingratitudinis ab iisdem bonis per ex-hæredationem excludere potest. Licebit tamen superstiti , sicut bona conjugis defuncti Ord. Col. tit. 10. §. 2. itâ & devoluta unioni prolium inferre , quamvis unioni simpliciter erectæ devoluta illata non intelligentur. Tametsi autem parens in devolutis nudum habeat usumfructum , liberior tamen , & dominio utili ferè æmula ipsi est administrandi potestas , quam euidem usufructuario de jure Romano , neque enim parens rei formam immutare , sylvam in agrum , lacum in lucum , utrumque iterum in viride pratum convertere , ac rem ad sui commoditatem & utilitatem pro lubitu (dummodo proprietas nobiliter non deterioretur) aptare prohibetur. Quæ secus se habent de jure Romano L. 13. l. 44. l. 61. ff. de usufri. vid. Estor. cap. 4. §. 6. Schilther , ad ff. exercit. 17. §. 19.

## §. 4.

**Q**UOD parens usufructarius bona devoluta alienare nequeat , fallit in casu urgentis necessitatis v. g. defectus alimentorum. Schutz de usufri. Jul. Mont. cap. 1. §. 11. Rick. de unione prol. cap. 7. n. 77. Causa necessaria quoque est æs alienum thoro illatum , aut eo stante conflatum , siquidem non devolvuntur bona , nisi , quæ soluto matrimonio superflunt , superesse autem non intelliguntur , nisi deducto are alieno L. 39. §. 1. de V. S. confer. Mean ad Jus Leod. def. 12. n. 17. econtrâ ob debita soluto matrimonio creata , devoluta alienari nequeunt Stockmans cap. 13. n. 6. De cætero , an urgens necessitas subsit , & quantum in illius sublevamen distrahi debeat , Jūdex arbitrabitur ,

C 3

cujus

cujs cognitionem proinde & decretum Jure exigit Schutz *l. cit.* quo interposito , reliqua ad justam alienationem requisita adfuisse præsumuntur arg. *l. 5. §. 15. ff. de reb. cor. qui sub tut. aliás ab emptore probanda.* Pinel. *de bon. mat. p. 3. n. 23.*

## §. 5.

**S**i quid igitur ex his bonis citrā necessitatis causam parens distraxerit , ipsem id revocare poterit , Pinel. *in l. 1. cod. de bon. mat. p. 3. n. 73.* quando enim lex aut consuetudo prohibitionem alienationis inducit ratione interesse alterius , impugnatio facti proprii de se illiciti permissa est Stryck. *diff. de impugn. fact. propri. cap. 3. n. 48.* Quia tunc parens factio suo non contravenit nomine proprio , sed nomine filii *id. l. cit.* Perez *in cod. tit. de bon. matern. n. 6.* Filius etiam patre vivente devoluta vindicare potest. Arg. *l. 50. ad SCtum trebell.* Pinel. *l. cit. n. 74.* Interest enim rem liberis integrum conservari , ne lapsu temporis difficilior reddatur ejus persecutio. Conf. Schutz *l. c. §. 7.* , quæ licentia filio , etiamsi parentis hæredi , tribuitur à nonnullis Estor *cap. 8. §. 4.* Rick. *cap. 7. n. 77.* Attamen contrarium verius existimo cum Stockm. *cap. 14. n. 8.* Schuz *l. cit. §. 8.* ex regula generali , quod hæres factum defuncti praestare teneatur *L. cum à matre 14. C. de R. V. L. 149. de R. J. & latissimè Coccej. in disp. tom. 2. disp. 28. de feudo hæreditario mixto thes. 9. § 20. usque 25.*

## §. 6.

**D**Ubitatur autem: annon saltem pater filio in testamento præcipere valeat , ut dispositionem à se super devolutis factam ratihabeat , aut solā legitimā sit contentus? videtur dispositio hujusmodi , tanquam in fraudem & subversionem legis facta non subsistere *L. 27. ff. ad l. falcid.* cum , quæ fieri nequeunt directè per viam dispositionis , indirectè quoque per modum conditionis pœnalis fieri non possint. Gail. *lib. 2. obs. 145. n. 6.* Quoniamverò testatori super re hæredis disponere licet *§. 4. J.*

*J. de legat.* Filio verò hoc casu liberum est , retentâ legitimâ , reliquam hæreditatem repudiare , nec ille , nisi volens , majoris lucri & emolumenti causâ gravamen hoc suscipit , dispositionem parentis , tali clausulâ munitam valere sustineo cum Stockm. cap. 16. n. 4.

## §. 7.

**Q**uemadmodum verò parentem sine consensu liberorum , ità filium sine consensu parentis devoluta alienare non posse tradit Stockm. *de jure devol.* cap. 5. n. 7. cap. 6. n. 6. *nec non decis.* 8. n. 4. Ast , quamvis ratio ab eodem allata quadrare possit iis locis , in quibus devolutio ultrà vinculum inalienabilitatis vires non exserit , uti in Ducatibus *Juliae & Montium* , partibusque Brabantinis , quia tamen indeoles devolutionis Archi - Dicecesanae penitus diversa est , verámque proprietatem liberis addicit , idcirco , manendo in principiis nostris , oppotitum statuimus , quotidianâ praxi & observantiâ patrocinante : nimirum liberos , vivente etiam superstite parente licet invito , salvo ei ad dies vitæ competente usufruētu , bona devoluta oppignorare , alienare & distrahere , desupérque inter vivos , & mortis causâ pro luctu disponere posse , id enim proprietario de jure licet , usufruētua-  
rio haud salutato l. 2. *Cod. de usufr.*

## §. 8.

**T**ertius denique devolutionis effectus est , quod liberi primi con-  
jugii excludant liberos secundi à bonorum devolutorum succes-  
fione , quod adeò verum est , etiamsi alia bona non adsint , ex qui-  
bus liberi 2di thori legitimam suam habere possint. *Estor. de jur. de-*  
*volut.* cap. 5. §. 6. Stockm. cap. 4. n. 5.

## §. 9.

**E**x consuetudine patriæ Colon. conjugi superstiti competit usus-  
fruētus in bonis , quæ prædefunctus , tempore mortis , pro-  
prie-

prietate-tenus possidebat Ordinat. tit. 8. §. 3. & 6. singamus igitur: Titium & Semproniam conjuges in Electoratu Colon. acquisivisse prædium quoddam immobile; decidere Titum patrem relictâ ex hoc thoro filiâ Meviâ, nuptâ Cajo, dein mori filiam Meviam, & post eam matrem Semproniam; Quæritur: an Cajus maritus Meviæ habeat usumfructum in prædio illo acquisito? & quod sic. Cum enim filia Mevia proprietatem istorum acquisitorum per mortem patris Titii in vitâ suâ modò obtinuerit, scilicet unam medietatem Jure successionis, alteram Jure devolutionis, sequitur, Cajo marito usumfructum in bonis illis competere; nec obstat, quod ususfructus, cum finitur, ad proprietatem reverti debeat l. 3. C de usufr. quæ proprietas tempore mortis Semproniae non est penè Cajum maritum Meviae. Censetur enim uxor prædefuncta in vitâ suâ, statuto itâ interpretante, marito usumfructum cessaisse, quod Dominus nudæ proprietatis facere potest, licet ususfructus sit penè alium l. 63. & l. 72. ff. de usufr. aliud profectò quoad medietatem Semproniae statui debet in locis, ubi Jus devolutionis duntaxat Vinculum inalienabilitatis injicit. Interim tamen in Ducatu Montensi marito in hypothesi usumfructum adjudicatum fuisse refert Schutz cit. tr. cap. 2. §. 7.

## §. 10.

**Q**Uæritur ulterius: an devoluta liberis imputentur in legitimam? Itâ volunt Wames cent. 6. Conf. 58. n. 7. & Conf. 98. n. 9. Stockm. cap. 15. n. 5. Christin. ad LL. Mechl. art. 25. tit. 16. n. 5. & ab eo Cit. Kinschot. resp. 65. n. 3. Quod facilius largimur quoad loca, in quibus omnia immobilia ad liberos primi thori devolvuntur, proprietas verò devolorum penè parentem superstitem manet, prout in terris Brabantinis Juris esse Cit. A. A. testantur; verum, quia neutrum obtinet in patriâ Colon. secùs sentimus cum Estor. de Jur. devol. cap. 8. §. 2. Siquidem (1) legitima constituitur ex bonis, quæ testator tempore mortis reliquit, L. 6. C de inoff. test. devoluta verò tempore mortis in bonis testa-

testatoris non sunt. (2) ea sola in legitimam imputantur, quæ ex judicio testatoris ad liberos pervenerunt l. 8. C. d. t. sed liberi devoluta capiunt ex providentiâ legis provincialis, seu consuetudinis. (3) statutum voluit, ut liberi immi thori devoluta habeant præcipua Ord. Colon. tit. 2. §. 3. in reliquis verò bonis utriusque thori proles æqualiter succedant. liberis autem competit legitima ex bonis, quæ parente intestato defuncto, potuissent ad eos pervenire cit. l. 8. (4) quæ liberi de Jure Romano per transitum matris ad secunda vota consequuntur, iisdem in legitimam non imputantur l. 6. C. de 2dis nupt. Manz de test tit. 12. qu. 43. multò minus ergò devoluta. Porro, quia bona devoluta in legitimam non imputantur, hinc eadem 2di thori liberis non conferuntur, per ea, quæ tradit Stryck. de success. diff. 11. cap. 1. §. 3. Beck de collat. cap. 3. §. 1.

## §. II.

**C**ontrovertitur quoque, an conjux superstes satisfaciat, bona devoluta filiæ vel filio in dotem aut donationem propter nuptias dando? quod negandum putamus, ex mobilibus quippè & usufructu bonorum, per successionem & devolucionem liberis delatorum, dotem iis constitui jubet Ordinatio Colon. tit. 8. §. 6. Neque aliás satisfacit parens, filiæ in bonis propriis (qualia devoluta Nostraria esse jam suprà demonstravimus) dotem assignando L. fin. Cod. de dot. promiss. ad cuius leg. Exemplum, referente Mynsing. cent. 5. obs. 32. In Camerâ Imperiali judicatum fuit, dotem in devolutis constitui non posse. Quin contra quidquam faciat objecatio Stockm. cap. 17. n. 5. Estor. cap. 8. §. 1. Mean in op. posth. def. 11. n. 16. Quasi dos, velut æs alienum stante thoro Contractum, à bonis devolutis deducenda foret, nam quando æs alienum devoluta afficiat, §. 12. demonstrabitur. Imò licet regula illa aliás esset vera, fallit tamen, quando statutum (prout Archidiœcesanum) contrarium decidit, quod scilicet liberi aliunde, quam ex devolutis, dotari debeant. Usumfructum verò devolutorum in partem dotis constitui

D

posse

posse non dubitamus, cum pater illum reverâ ex suo det. *Tulden, in Cod. tit. de dot. promiss. n. 6.*

## §. 12.

**A**lia porrò subsequitur quæstio: si unus ex liberis devolutariis, sine liberis, ante parentem superstitem moriatur nùm parens unà cùm fratribus eidem in bonis ad filium defunctum devolutis juxta §. 1. tit. 4. Ord. Colon. succedat? Doctrinâ aliorum, parentem nonnis liberis omnibus præmortuis, ad devolutorum successionem admittentium, velut à principiis Juris nostri consuetudinarii penitus aliena, ad partes tantisper depositâ. Parentem superstitem, cum fratribus, in præmissâ specie admittendum esse. Vera namque proprietas devolutorum ad liberos semel transiit, horum proprium effecta est patrimonium, nihil hinc impedit, quominus ad ductum prælaudatae Ordinationis superstes parens, cum defuncti filii fratribus, quotam suam virilem ex devolutis quoque sortiatur. Signanter, cum memorata ordinatio parentem superstitem ad consuccessionem filiorum, indistinctim in omnibus ~~bonis~~ <sup>sum</sup> bonis invitet. Ibis so Erben dieselbe (fratres & sorores) mit des verstorbenen Kind's Mutter.. oder mit der Mutter.. alle Haab und Guth ohn Unter-scheid. Atque hanc opinionem nostram notoria tribunalium patriæ observantia jam dudum reddidit indubiam. Nec obstat, si dicatur, acquisita thori solis liberis ejusdem thori esse debita *tit. ord. 2. §. 3.* consequenter in casu unius liberorum defuncti, superstitem à successione in devolutis arcendum, & hæc reliquias ejusdem conjugii liberis relinquenda esse. Replicatur enim statutum *cit. §. 3.* loqui de descendentiibus, & id tantum velle, ut acquisita thori devolvantur in liberos ejusdem thori, exclusivè quoad liberos alterius thori. Nos autem in quæstione propositâ de Ordine ascendentium, unde consuccessione parentis, nullibi exclusi, quin potius expressè vocati agimus.

## §. 13.

## §. 13.

**D**Ubitatur denique; utrum filius, repudiata superstitis hæreditate, devoluta retinere possit? Cum liberi bona devoluta non capiant ex successione superstitis parentis, sed ex speciali legis providentiâ, & proprietatem illorum bonorum, jam tū in vitâ ejusdem parentis, citrâ successionem consecuti sint, sic eadem bona citra qualitatem hæredis retinere possunt Stockmans de *Jur. devol.* cap. 13. n. 6. Repudiata itaque hæreditate, liberi devolutarii neque ad præstandum factum defuncti, neque ad sustinendum æs alienum obligantur, nisi debita ante matrimonium, vel eo stante fuerint contracta, adhac enim in subsidium, excusso scilicet hærede mo- & immobilari, non tamen ultrâ vires bonorum devolutorum, tenentur. confer. Mean *def. 12.* cessat autem hoc beneficium Ordinis, si devoluta pro debito, annum censum generante, specialiter essent oppignorata, quia res cum suo onere transit l. 15. C. de *pign.* Nec hujusmodi debita hæres mobilis exsolvere teneatur, *Ord. Colon. tit. 8. §. 5.*

## §. 14.

**A**Liud dicendum est, si liberi sint parentis superstitis hæredes, eos namque eventu simul ad solutionem debitorum, dissoluto matrimonio creatorum, etiam ex devolutis, præstandam obligantur, nisi hæreditatem cum beneficio legis & inventarii adiissent, quo casu liberi, ratione devolutorum, ab exactione creditorum forent immunes, cum hujusmodi bona illis, non quâ hæredibus, sed quâ liberis adiecta, eorumque dominio ante hæreditatem jam delatam incorporata, ad massam hæreditatis non pertineant, neque ejus partem constituant, ultrâ hujus vires autem hæres, inventario confecto, non tenetur. *L. 22. Cod. de jur. de lib.*

## CAPUT QUINTUM.

*Quibus in Casibus cesseret Jus Devolutionis.*

## §. 1.

**P**Luribus modis devolutionem non nasci, aut natam cessare contingit.  
 (1) Siliberi tempore dissolutionis conjugii non extent *Ord. Col. tit. 8. §. 6.* aut (2) extantes ante superstitem conjugem omnes decedant *d.t. §. 3.* (3) filibeli, liberam rerum suarum administrationem habentes, parenti Jus ex devolutione quæstitum remittant. (4) Si filius aut filia, utroque parente vivo, utriusque haereditati aut substantiæ renuntiet, secus, si filia post mortem alterutrius conjugum, superstitis successioni renunciaverit, aliud quippe est successioni futuræ, aliud Juri ex devolutione jam quæsito renuntiare. Dissentit juxta sua principia Stockm. *cap. 18. n. 11.* (5) Si nulla bona immobilia stante thoro fuerint acquisita.

## §. 2.

**S**Extò cessat devolutio per contrariam conjugum voluntatem. Licet enim his, vel in pæctis dotalibus, vel communi testamento vires juris devolutionis enervare. Sixtin. *vol. 1. conf. Marpurg. 16.* Stockm. *cap. 9.* Wames. *cent. 6. conf. 60. in pr. Mean op. posth. def. 72. n. 8.* Christin. *vol. 3. decif. 35. n. 17.* Cum pæcta statutis derogent, & Jura provincialia, quatenus potestatem testandi non restringunt, nonniſi in casum intestati ſint capienda. Quam ſententiam, licet uſu fori receptam, analogiæ Juris tamen minus convenientem existimat Eſtor. *de jur. devol. cap. 7. §. 1. & 2.* Eo, quod juris diſpositio, alterius favorem respiciens, privatorum pæctis convelli non poſſet. Sed reſpondetur: Jus devolutionis quidem in favorem liberorum introductum eſſe, ita tamen, ut non omnino excludatur, arbitrium parentum, qui liberis optimè conſulturi præſumuntur. Quod conforme videatur ordinationi patriæ [Colon.], quâ expressis verbis libertas conjugibus data reperitur, quatenus tam in pæctis dotalibus, quam testamento

mento mutuo ordinare possint, quem in modum bona post eorum obitum velint devolvi. *Vid. Ord. Colon. tit. I. §. 14. tit. 6. §. 17. & tit. 8. §. I. 2. 3. & 4.* Idem quoque in Ducatis Jul. & Mont. in paetis nuptialibus, non autem in testamento fieri posse existimat Schuzl. cit. cap. I. §. 10. ex ratione, quod de bonis stemmaticis in dictis Ducatis testari non liceret; sed ratio haec insubstiens videtur, nam devolutio nem bonorum futuram impedire, non tam est testamenti factio, quam remissio Juris, quod conjux habebat, omnem dispositionem in bonis superstititis impediendi, adeoque derogatio Juris devolutionis potius paetum, & aetum inter vivos, quam ultimae voluntatis sapis Stockm. cap. 10. n. 7. Pacisci autem super bonis stemmaticis prohibitum non est. Potest etiam conjux conjugi Jus devolutionis remittere, absque, quod alter vicissim illud remittat. Stockm. cap. 9. n. 3.

## §. 3.

**I**nTEGRUM est conjugi consensum, quo Jus devolutionis in paeto aut testamento abrogavit, quoad bona propria revocare, cum favori suo tantum renuntiet L. pen. C. de paet. Neutquam verò quoad bona alterius conjugis, si derogatio facta fuerit in paetis dotalibus, licet mixtis, haec enim paeta, sc. mixta, quamvis ad tramites juris communis quandocunque sint revocabilia Stryck. ad U. M. de paet. dot. §. 4. Carpz. p. 2. C. 43. def. 16. de Jure tamen statutorum Archid. Colon. Citra utriusque consensum irrevocabilia sunt. Tit. ord. 8. §. 1. & 2. ibi  
sie schon auf die Erbfolbung gerichtet se. Sin autem in communi testamento talis consensus datus fuerit, videtur ejus revocatio conjugi permissa esse, quamdiu alter vivit, eo, quod Ordinat. tit. I. §. 14. Solummodo vetet, ne testamentum reciprocum post obitum alterius conjugis mutetur, ita, ut alter casus, si nimirum utroque conjugum vivente, alteruter testamentum revocare velit, relietus censeatur dispositioni juris communis, quo conjugi testamentum reciprocum quandocunque mutare licet Strick. de caut. test. cap. 24. §. 21 Mynsing. cent.

D 3

I. obs.

1. obf. 8. Verùm, quia derogatio juris devolutionis, ut dictum, natu-  
ram pacti & actus inter vivos habet, hinc, licet in testamento facta fuerit,  
manet irrevocabilis. Manz. de test. val- & inv. tit. 4. n. 161.

## §. 4.

**P**Er quamlibet autem dispositionem in totum non censetur deroga-  
tum Juri devolutionis, sed, si quoad unum aut alterum effectum  
sit sublatum, quoad alias vires suas retinet. Stockm. cap. 9.  
num. 10. Sic, si superstes, datâ sibi licentiâ devoluta alienandi,  
quædam non alienaverit, hæc juri devolutionis manent sub-  
jecta. Idem l. cit. Quemadmodum quoad omnia bona obtinet, si super-  
stes facultate suâ omnino usus non sit. De Mean. obf. 699. Peck. de test.  
conjug. lib. 1. cap. 30. n. 2. Item, si convenerint parentes, quod uno  
eorum mortuo, & altero ad ulteriora vota convolante, utriusque  
thori liberi devoluta æqualiter dividere debeant, prohibitus alienandi non  
erit remota, sicut nec econtra, sublatâ alienandi prohibitione liberi 2di  
thori in devolutis succedunt, si à superstite alienata non fuerint. Neque  
per hoc, quod conjugi libera dispositio de bonis prædefuncti sit relicti,  
potestas de propriis devolutis disponendi data censetur Peck. cit. tr. lib.  
5. cap. 20. Licentia enim ista, in detrimentum liberorum vergens, ex-  
tendi non debet. Hinc rectè monet Wamef. cent. 6. conf. 60. n. 3. § 4.  
Conjugem facultate super devolutis disponendi, aut ex iisdem liberis  
2di thori relinquendi sibi datâ, non in subversionem Juris devolutio-  
nis abuti, sed secundum arbitrium boni viri uti debere arg. L. 54. ad  
SG. trebell. & ad præsumptam conjugis defuncti voluntatem, quæ vero-  
similiter ea fuit, ut liberis 1mi thori saltem plus, quam secundi relinque-  
retur, dum quisque sanguinem proprium alieno præferri voluisse cen-  
setur L. 30. C. de fideicom. denique, si conjuges in patria Colon. in pa-  
tis nuptialibus proprietatem acquirendorum, etiam in casum thori,  
relictis ex eo liberis, soluti sibi expressè reservaverint, per hoc Juri  
devolutionis in totum derogatum esse censeo, & disputationi finem  
impono.

COROL-

## COROLLARIA.

I.

*Prælatus Ecclesiasticus sine Juris Solennitatibus hæreditatem immobilia continentem repudiare nequit.*

2.

*Beneficia, quæ auctoritate papali ad Episcopatum promoti dispensativè retinuerunt, post obitum eorum S. Pontifici vigore extrav. ad Regimen reservata non sunt.*

3.

*Jus decimandi à laicis contra Ecclesiam, per præscriptionem immemorialem acquiri non potest.*

4.

*Præsentatus ad beneficium à pupillo septennio majore, præfertur præsentato à tutore.*

5.

*Quod à Sponsalibus in gradu prohibito sub conditione dispensationis future contractis altera pars recedere possit, licet de praxi Curie Romanae certum sit, in puncto Juris tamen probabile haud est.*

6.

*Uxor ratione dotis creditoribus hypothecam expressam anteriorem habentibus postponitur.*

7.

*Minore contra aditionem hæreditatis restituto substitutus manet exclusus.*

8.

*Legatarii verbis tantum conjuncti gaudent Jure accrescendi.*

9.

*Fideicommissum pacitium, à substituto acceptatum, hoc invito à pa-*

*cipientibus revocari haud potest.*

IO.

10.

*Legitimatus per subsequens matrimonium in feudo succedit.*

11.

*Non omnia delicta suos duntaxat tenent autores.*

12.

*Statibus imperii Catholicis in subditos protestantes vigore Instr. pac. art. 5. §. 48. competit Jurisdictio Ecclesiastica, statibus protestantibus in subditos Catholicos non item.*

13.

*Matri de jure gentium competit patria potestas in liberos.*

14.

*Juris naturalis adaequatum principium est bonum universale naturæ.*

15.

*Actus cum bono, i. e. voluntate, Dei ut authoris naturæ essentialiter conexi, aut intrinsecè cum eo pugnantes, immutabile, & ne arbitrio quidem divino subiectum, juris naturalis objectum constituant.*


16.

*Quin ob alapam injuriosè inflictam, hic & nunc quis occidi possit, jus naturale non vetat.*



Kr 2309

X2368165





DISSE<sup>R</sup>TATIO  
INAUGURALIS JURIDICA  
<sup>D E</sup>  
JURE DEVOLUTIONIS  
*Secundum Mores & Statuta Archi-Dioecesis Coloniensis*  
QUAM  
DEO AUSPICE  
PATROCINANTIBUS  
Apostolorum Principe S. Petro, ejusdemque  
Archi-Dioecesis Praefule S. Engelberto  
PRÆSIDIBUS  
PRÆNOBILIBUS, CLARISSIMIS, CONSULTISSIMISQUE  
VIRIS, ac DOMINIS,  
D. GERARDO ERNESTO HAMM  
J. U. D. Professore Publico & Ordinario, Venerandæque Facultatis Juridicæ  
Coloniensis Dictatore  
NEC NON  
D. GUILIELMO DE MONTE  
J. U. D. Professore Publico, & Ordinario, ejusdemque Facultatis Fisco:  
PRO  
Obtinenda in utroque Jure summi Gradus Licentia  
In publico Juris Auditorio  
*Crisi Academicæ subjiciet*  
PETRUS ENGELBERTUS BENNERSCHEID Tuitiensis  
AA. LL. ac Philosophiæ Magister.  
Die 17 Septembris Anno MDCCXLVIII.

Coloniæ typis GEREONIS ARNOLDI SCHAUERBERG.  
*Cum Privilegio Venerand. Facultat. Juridica.*